Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

semper sole carent. unde et a thile insula unius diei navi
gatione ad aquilonem mare concretum invenitur.

De plagis mundi. X.

Climata. id est plage mundi sunt IIIIor. Orientalis
ab exortu solsticiali ad brumalem. occidentalis ex hinc usque
ad solsticialem. australis. inde ad occasum brumalem. Porro
septentrionalis ab occasu solsticiali usque ad exortum eiusdem
partis. ex quibus orientalem et occidentalem ianuas celi nomi
nant. Nam et in medio terrae positis. habent equalia. Nam sub
aquilone degentibus brumalis dies brevior. et solsticialis
prolixior. ortum occasumque dilatans. alias plagas angustat.
Item apud australes. utraque prefata dies moderatior. supra
dictam diversitatem inmutat. licet ubique solsticiali exortui
brumalis occasus ex eadem linea respondeat. Nam et circui
tus extremi solis eodem modo post totidem sex semper menses
congruunt occasus.

De stellis. XI.

Stelle lumen
a sole mutuantes cum mundo verti. utpote uno loco fixe. et non
stante mundo vage ferri dicuntur. exceptis his que planete
id est erratice vocantur. easque diei adventu celari. nec umquam
celo decidere. fulgore plenilunii. et solis probat diluculum.
quamvis videamus igniculos. ex ethere lapsos. portari
ventis. vagique lumen syderis imitari tractibus cito
concurrentibus ventis. Sydera autem alia sunt in liquorem soluti
humoris fecunda. alia concreti in pruinas. aut coacti in
nives. aut glaciali in grandines. alia flatus tepores. alia
vaporis. alia roris. alia frigoris. Haec solum errantia. ut sa
turnus eiusque tristicia. ymbriferi fiunt. sed et quedam fixa
polo. cum errantium fuerint accessu. vel radiis inpulsa
ut sucule in fronte thauri. quos ob id greci pluvio nomine
hyadas appellant. Quin et sua sponte quedam statutisque

5